

5 Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparitis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentibus.

6 Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam.

7 Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

8 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

9 Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit, quæ fecerat: & investigans composuit parabolas multas.

10 Quæsitit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

11 Verba sapientissimi sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum confitium data sunt a pastore uno.

12 His amplius fili mi ne requiras, Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflidio est.

13 Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.

14 Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud fit.

CAN-

CANTICUM  
CANTICORUM  
SALOMONIS,  
QUOD HEBRAICE DICITUR  
SIR HASIRIM.

## CAPUT PRIMUM.

*Hoc canticum totum est mysticum, plenissimum incomprehensibilis amoris Christi erga sponsam suam ac vicissim sponsæ erga Christum sponsum.*

1 OSCULETUR me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino,

2 Fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te.

3 Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

4 Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

5 Nolite me considerare quod fulca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

6 Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

7 Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pascas hœdos tuos juxta tabernaculum pastorum.

8 Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.

9 Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis : col-  
lum tuum sicut monilia.

10 Murenulas aureas faciemus tibi, vermicu-  
latas argento.

11 Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea  
dedit odorem suum.

12 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, in-  
ter ubera mea commorabitur.

13 Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis  
Engaddi.

14 Ecce tu pulchra es amica mea : ecce tu  
pulchra es : oculi tui columbarum.

15 Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.  
Lectulus noster floridus :

16 Tigna domorum nostrarum cedrina, laquea-  
ria nostra cypressina.

## CAPUT II.

1 **E**GO flos campi, & lilium convallium.

2 Sicut lilium inter spinas, sic amica mea  
inter filias.

3 Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dile-  
ctus meus inter filios. Sub umbra illius, quem  
desideraveram, sedi : & fructus ejus dulcis gut-  
turi meo.

4 Introduxit me in cellam vinariam, ordina-  
vit in me charitatem.

5 Fulcite me floribus, stipate me malis : quia  
amore languo.

6 Læva ejus sub capite meo, & dextera illius  
amplexabitur me.

7 Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cer-  
vosque camporum, ne fuscitetis, neque evigila-  
re faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

8 Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in  
montibus, transfiliens colles :

9 Similis est dilectus meus caprea, hinnuloque  
cervorum. En ipse stat post parietem nostrum  
respicens per fenestras, prospiciens per cancellos.

10 En dilectus meus loquitur mihi : Surge,  
propera amica mea, columba mea, formosa mea,  
& veni.

11 Jam enim hyems transiit, imber abiit, &  
recessit.

11 Flo.

12 Flores apparuerunt in terra nostra, tempus  
putationis advenit : vox turturis audita est in terra  
nostra :

13 Ficus protulit grossos suos : vineæ florentes  
dederunt odorem suum. Surge, amica mea, spe-  
ciosa mea, & veni :

14 Columba mea in foraminibus petrae, in ca-  
verna maceræ, ostende mihi faciem tuam, so-  
net vox tua in auribus meis : vox enim tuadul-  
cis, & facies tua decora.

15 Capite nobis vulpes parvulas quæ demoluntur  
vineas : nam vinea nostra floruit.

16 Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pasci-  
tur inter lilia

17 Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.  
Revertere : similis esto, dilecte mi, caprea, hin-  
nuloque cervorum super montes Bether.

## CAPUT III.

1 **I**N lectulo meo per noctes quæsi, quem dili-  
git anima mea : quæsi illum, & non in-  
veni.

2 Surgam, & circuibo civitatem : per vicos  
& plateas quæram, quem diligit anima mea : quæ-  
si illum, & non inveni.

3 Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civi-  
tatem : Num quem diligit anima mea, vidistis ?

4 Paululum cum pertransissem eos, inveni, quem  
diligit anima mea : tenui eum : nec dimittam,  
donec introducam illum in domum matris meæ,  
& in cubiculum genitricis meæ.

5 Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cer-  
vosque camporum, ne fuscitetis, neque evigila-  
re faciatis dilectam donec ipsa velit.

6 Quæ est ista, quæ ascendit per desertum fi-  
cut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thu-  
ris, & universi pulveris pigmentarii ?

7 En lectulum Salomonis sexaginta fortes am-  
biant ex fortissimis Israel :

8 Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissi-  
mi : uniuscujusque ensis super femur suum pro-  
pter timores nocturnos.

9 Perculum fecit sibi rex Salomon de lignis  
Libani :

Cc 3

19 Co-

10 Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate confravit propter filias Jerusalem:

11 Egredimini & videte filia Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

## CAPUT IV.

1 **Q**uam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

2 Dentis tui sicut greges tonstrarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, & sterilis non est inter eas.

3 Sicut vitæ coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.

4 Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5 Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis.

6 Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ: vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

7 Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

8 Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano veni: coronaberis de capite Amanæ, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

9 Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

10 Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

11 Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

12 Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus,

13 Emif-

13 Emissiones tuæ paradisus malorum puniceorum cum pomorum fructibus. Cyprum cum nardo.

14 Nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum univèrsis lignis Libani, & myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.

15 Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

16 Surge Aquilo, & veni Austro, perfusa hortum meum, & fluant aromata illius.

## CAPUT V.

1 **V**eniat dilectus meus in hortum suum & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

2 Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinnati mei guttis noctium.

3 Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos quomodo inquinabo illos?

4 Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

5 Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

6 Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsiivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi.

7 Invenierunt me custodes qui circumveunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

8 Adjuro vos filia Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nunciatis ei quia amore langueo.

9 Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

Cc 4

10 Di-

10 Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

11 Caput ejus aurum optimum: Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigrae quasi corvus.

12 Oculi ejus sicut columbae super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.

13 Genæ illius sicut areolæ aromatum consistæ a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

14 Manus illius tornatiles aureæ, plene hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus saphiris.

15 Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

16 Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Jerusalem.

17 Quo abiit, dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? & quaeremus eum tecum.

## CAPUT VI.

1 Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.

2 Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

3 Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

4 Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

5 Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis scetibus, & sterilibus non est in eis.

6 Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis.

7 Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

8 Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam  
fi-

filia, & beatissimam prædicaverunt: reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.

9 Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora confurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.

10 Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si florisset vinea, & germinassent mala punica.

11 Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

12 Revertere, revertere Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

## CAPUT VII.

1 Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis! Junctura femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

2 Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

3 Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capræ.

4 Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filia multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

5 Caput tuum ut Carmelus: & comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.

6 Quam pulchra es, & quam decora charissima, in deliciis!

7 Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.

8 Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua sicut botri vineæ: & odor oris tui sicut malorum.

9 Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.

10 Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.

11 Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12 Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

13 Mandragoræ dederunt odorem, In portis nostris omnia poma: nova & vetera, dilecte mi, fervavi tibi.

## CAPUT VIII.

1 **Q**uis mihi det te fratrem meum fugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?

2 Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.

3 Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

4 Adjuro vos filie Jerusalem, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

5 Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

6 Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

7 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

8 Soror nostra parva, & ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

9 Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

10 Ego murus: & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

11 Vineam fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

12 Vineam meam coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

13 Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.

14 Fuge dilecte mi, & assimilare capræ, hinnuloque cervorum super montes aromaticum.

LIBER  
SAPIENTIÆ.

## CAPUT PRIMUM.

*Judices sent justis: Dominus invenitur si simplici corde & fide quaeratur; fugit autem a peccatoribus & vanis cogitationibus: cumque omnia replat, nihil eum latere potest: murmuratio, detractio, & mendacium detestanda: omnia fecit Deus ad vitam, non mortem intendens, quam sibi peccatores accersierunt.*

1 **D**ILIGITE \* justitiam, qui judicatis \* 3. Reg. terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quæ-  
1. *Isai. 56.*

rite illum:

2 \* Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum: 1. *Ps.*

3 Perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes.

4 Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

5 Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripitur a superveniente iniquitate.